

HOLY SEE PRESS OFFICE  
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE  
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS

# **BOLLETTINO**

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0043

Sabato 22.01.2000

## **LETTERA DEL SANTO PADRE AL SUO INVIATO SPECIALE AL "MARIAN CONGRESS ON THE HOLY TRINITY" (MANILA, FILIPPINE 27-29 GENNAIO 2000)**

LETTERA DEL SANTO PADRE AL SUO INVIATO SPECIALE AL "MARIAN CONGRESS ON THE HOLY TRINITY" (MANILA, FILIPPINE 27-29 GENNAIO 2000)

Il Santo Padre ha nominato l'Em.mo Card. Edward Bede Clancy, Arcivescovo di Sydney, Suo Inviato Speciale al "Marian Congress on the Holy Trinity", in programma a Manila (Filippine), dal 27 al 29 gennaio p.v.

La Missione Pontificia che accompagnerà il Porporato sarà così composta:

Rev. Mons. Geronimo Reyes, Vicario Giudiziale dell'Arcidiocesi di Manila;

Rev. Mons. Francisco De Leon, Rettore del Seminario Maggiore "San Carlos" di Manila;

Sig. Francisco Alba, Cavaliere di San Silvestro.

Pubblichiamo di seguito la lettera del Santo Padre al Suo Inviato Speciale:

### **Venerabili Fratri Nostro EDUARDO S.R.E. Cardinali CLANCY Archiepiscopo Sydneyensi**

Ceteras quemadmodum gentes et Philippinenses fideles sat scimus ad Magnum Iubilaeum celebrandum convenienter sese comparare, qui superiora fere tempora revocantes, cum primum Evangelii semen sollicitis operantibus missionariis allatum est, renovatum vigorem inde suscipiunt ad ulteriora studiosius patranda illiusque aetatis monitiones suasionisque firmius tenendas.

Eosdem apud fideles multiplices congressiones antehac coeptae sunt excusso de consilio agi eaeque feliciter sunt ad finem adductae, ut ecclesialis coetus huic praestabili eventui quam paratissimus obviam eat ipsiusque penitus capiant rationem. His spectatis rebus, diebus XXVII-XXIX mensis Ianuarii anni MM, Venerabilibus Fratribus Episcopis Philippinis auctoribus, Manilae "*Marian Congress on the Holy Trinity*" agetur, superiorum conventuum complectendorum causa ac fere eorundem extollendorum.

Qundoquidem Venerabilis Frater Noster Iacobus L. S.R.E. Cardinalis Sin te nominatim ut mitteremus postulavit ad rem illam abosolvendam, Nos idem plane sentientes, te destinare studemus ad eandem congressionem faciendam teque ideo, Venerabilis Frater Noster, Missum Extraordinarium constituimus, ut diebus illis inibi intersis ipsamque vocem Nostram significes, unde cuncti novum animum suscipiant virtutisque ardore inflammentur.

Palam demum benevolentiam Nostram declarabis et sollicitudinem, dum preces pariter fundimus ut caelestis Matris late proferatur pietas et gentibus illis, quae circa sunt, magis magisque sit radians et fulgida ipsa virtutis veluti sidus. Salutationem tandem fervidam omnibus transmittere properabis et Benedictionem Nostram Apostolicam universis simul huius eventus participibus nomine Nostro Nostraque auctoritate largiaris velimus, quae sit divinarum gratiarum nuntia et felicioris temporis signum.

Ex Aedibus Vaticanis, die IV mensis Decmbris, anno MCMXCIX, Pontificatus Nostri vicesimo secundo.

IOANNES PAULUS II

[00228-07.01] [Testo originale:latino]

---